

53

DISSERTATIO
PHILOLOGICO - HERMENEVTICA
DE
**LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE
PARALLELIS
SECTIO I.**

QVAM
SINGVLARI INDVLTV
INCLITI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIO - CAROLINA
**GVILIELMVS THEODORVS CAROLVS
ALBERTI**

PHILOS. DOCTOR ET ARTIVM LIBERAL. MAGISTER SCHOLAE
SENATOR HELMSTAD. RÉCTOR COENOBII MARIAEVALLENSIS
SVBPRIOR ET SOG. DVC. TEVTON. HONORIS CAVSSA
ADSCRIPTVS

A. D. III. JANVAR. A. R. S. CICIOCCCLXX.

IN IVLEO MAIORI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT
RESPONDENTE
ANTON. AVGUST. HENR. LICHTENSTEIN

HELMSTADIENSI
SACRAR. LITTER. CVLT.

HELMSTADII
LITTERIS MICHAELIS GVNTHERI LEVKART.

GENEROSISSIMO
PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO
FRIDERICO AVGVSTO
DE VELTHEIM

HEREDITARIO DOMINO IN HARBKE ADERSTEDT
GROPPENDORF REL. REL.

SERENISSIMO DVCI BRVNSVICENSIVM IN
DICASTERIO AVLICO WOLFENBUTTELENSI
IVDICI SUPREMO DVCATVS BRVNSVICENSIS TRI
CLINIARCHAE HEREDITARIO ORDINVM PROVINCIA
LIVM EIVSDEM DVCATVS NEC NON HILDESIENSIS
EPISCOPATVS DEPVTATO

PATRONO AC MAECENATI
OMNI PIETATIS CVLTV AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO

HANC
QVALEM CVM QVE DISSERTATIONEM
NON INFVCATAE PIETATIS TESSERAM

SEQVE IPSVM ADEO
RELIGIOSE OMNIQE OBSERVANTIA

D. D. D.

SIMVL

PRO SPLENDIDIS ATQVE ILLVSTRIEBVS SINGVLARIS
GRATIAE DOCVMENTIS AMPLISSIMOQE
STIPENDIO

GRATISSIMAM MENTEM TESTATVR

PRO

TANTI NOMINIS

ANMI GENERISQE NOBILITATE
PERILLVSTRIS SALVTE ATQVE INCOLVMITATE

ARDENTES PRECES AD SVPREMV M VNMEN

SVPPLEX FVNDIT

OMNIA QVAE IN FELICITATE PONVNTVR

LONGISSIMAM AETATEM APPRECATVR

SEQVE EIVS GRATIAE PATROCINIO QE

DE MELIORI COMMENDAT

GVL. THEOD. CAROL. ALBERTI



PRAECOGNITA.

§. I.

Instituti ratio.



Si qui umquam doctorum hominum labores, quibus consultum iri litterarum studiis quodammodo arbitrati sunt, fructu haut caruerunt; principem ii profecto locum obtinere mihi videntur, quos ad explicandos Sacri Codicis vel integros libros, vel singulos eiusdem locos hinc inde contulerunt. Neque enim solum magna illa atque eximia, qua reliquis omnibus palmam quasi praeripiunt haec volumina, grauitas ac praestantia tantum illi negotio praebent valorem; verum et ipsa quoque rerum, ex variis disciplinis ad illistrandas sacras litteras velut in subsidium vocandarum multitudine, et longa laboris patientia, et tenebrazione postremum, quibus Sacrae Scripturae loci obuelati sunt haut pauci, maiorem subinde eiusmodi ausis gratiam, dignitatemque et utilitatem vindicant largissimam. Eorum itaque,

A 3

qui



qui in hoc litterarum genus vario quidem modo studia contulerunt sua, magna semper fuit, et adhuc quoque est multitudo. Qui vero ex illo laborum prouentu vberiorem in enucleando dicti cuiusdam paulo difficultioris sensu exserat utilitatem, quam quidem usus locorum parallelorum rite institutus, ego fere nescierim ullum. Adeo ab omni inde tempore eximia eorum, quam in Critica pariter ac Hermeneutica sacra produnt, vis habita fuit, (ea quidem singulari quadam affectione luculentius euincenda) ut non interpretum solum ad eos refugium semper fuerit, verum summi etiam in hoc eruditionis genere viri iustam eique debitam tribuere laudem nequaquam dubitaverint. At enim vero ea plerumque ingenii mortalium indoles est atque conditio, ut, nimis ipsi sapere se sibi rati, in deuia trahantur, suoque ipsorum ingenio nimis indulgentes, iustos, quibus teneri debebant, fines temere transgrediantur. Expertus quoque tristem hanc sortem est Sacrae Scripturae, vt aiunt, *Parallelismus*, adeo quidem, ut, nimis eius amore capti, an potius naturae eius parum gnari, nescio, ubique locorum inuenisse eiusmodi quid falso sibi persuadeant homines docti, et tantum non vnde gestiant παράλληλα. Frequens certe adeo huiuscemodi errorum copia est, ut infra notasse eorum vestigia iuuerit. Quibus quidem omnibus adduci facile poteramus, ut, litteris consignandum quum publice aliquid hoc tempore esset, ad differendum p[re] reliquis, locorum Sacrae Scripturae parallelorum quaenam vera sit indoles, qui usus, animum adpelleremus. Accedit ad hoc, quod, quae viri eruditionis laude insignes docte de hoc genere disputatione, hic et illic sunt dispersa. Quae itaque in unum quasi cumulum colligere, ut primo statim obtutu conspiciri satius possint, nec non, quocumque demum loco et rei et virium mearum ratio eam mihi datura sit veniam, quaedam addere de nostris, si et haec ab insitu

tuto non prorsus dissuaderent, iustum equidem duxi. Quodsi vero nec ego omnem in hac re attigerim vim, facile dandum hoc mihi ab aequis rerum arbitris credo, et si leuissima ratione illi quaestioni consuletur hoc labore, non absque omni omniu[m] utilitate eum a nobis collocatum, iudicandum cuique esse existimo.

§. II.

Ordo tradationis.

CONVENIT iusto, cui in huiuscmodi labore studendum maxime est, ordini, vt breuib[us] ante, quam accedamus ad rem, rationem, qua instituere tractationem animus sit, defcribam[us]. Omnia vero, vti arbitr[or], quae notatu hoc loco dignissima sunt, tribus potissimum Sectionibus absolui commode posse visa mihi sunt, hac fere ratione, vt *primo* quidem omnia, quotquot Parallelismi genera aut recepta ab interpretibus hucusque, aut receptis addenda a nobis subinde sint, singulatim recenseamus: *deinde*, vt in componendis variis regulis, quibus adstricte instituere Scripturae Parallelissimum debeamus, versemur: *postremo* denique, vt, quanta eius sit in Critica pariter ac Hermeneutica sacra utilitas, exemplis illustremus perspicuitate insignibus. Etenim si primi momenti ratio habetur, vti terminos intra nimis angustos fese quasi continuisse, qui hac de re praeceperunt, mihi videntur, quam vt circumscribi iisdem et nos patiamur; ita quoque in formandis regulis curatius circumspiciendum est, ne qua, ea quidem necessaria, temere omitatur, aut inutiles illae prorsus ac spuriae nimis cumulentur. Nolui vero huius generis commentationi, tamquam statuae coloris splendorem, suum ipsius usum decesse, quem potius grauisimi instar ponderis ultimo loco adposuisse, e re mea sum ratus.

§. III.





§. III.

Parallelismi definitio.

OPERAЕ pretium me esse facturum existimauи, bona que in differendo methodo haut parum prospeturum, si, quae nam sit Parallelismi s. loci parallelis a) etymologia, quaeque ei vera insit notio, tum proprio sensu, tum theologico, iam iam inquiram, vt vel exinde qualicumque nostrae disquisitionis ratio confet. Nemo vero facile adeo Graecarum litterarum rudis est, vt, vocabuli huius potestatem ex Graeco fonte, ex παράλιοι scilicet et ἀλλήλων petendam esse, ignoret, quo itaque indicat: ex aduerso posita, iuxta se collocata, sibi inuicem aequali modo respondentia. Maioris paullo momenti res esse videatur, quod impro prius reuera hic terminus ex mathematicorum scholis de promptus in Hermeneuticam delatus fit, quibus praevente EVCLIDE b) lineae parallelae nihil aliud significant, quam: rectae lineae, quae, quum in eodem sint piano, et ex viraque parte in infinitum producantur, in neuram sibi mutuo incident, aut, si maius cum IO. ANDR. SEGNERO: c) duae rectae in eodem piano ductae, quae vicinque productae non concurrunt. Et eleganter, fateor, et commode admodum compositus hic terminus est ad rem, quam debebat, indigitandam. Tantum vero abest, vt toti huic omnino definitioni nimis inhaerere

a) Variae subinde, præter τὴν παράλιην terminum, quo EVSTATHIUS, Thessalonicensium Archiepiscopus ysus primo videtur, voces reperiuntur, quibus hunc in sacras litteras commentandi modum insignire tum veteribus, tum recentioribus placuit. Potiores in his sequentes fere sunt: η συμφωνία, harmonia, ana-

logia proportionis, analogia Scripturæ, concentus & consensus Scripturæ. In quibus quidem nominibus ea nonnullorum est ratio, vt, et veterum ab hoc interpretandi modo studia non plane abhorruisse, manifestum inde sit.

b) Elementor. Lib. I. def. 34.

c) Element. Geometr. Sccl. I. def. VII. §. 23.

rere fas sit, vt potius, eius nimia ratione habita, ne aut in affectatae similitudinis, aut definitionis Parallelismi suo, vt aiunt, definito angustioris vitium incidamus, merito vereamur. Quod certe vitium vterque commississe censendus est, tum, qui exinde, quod duae lineae rectae in uno eodemque plano existant, nefcio quam Scripturae Sacrae cum iis conuenientiam curiose eruissé autumant, ita scilicet, vt loci Sacri Codicis paralleli, similis, qua lineae illae, ratione, *eadem quasi superficie*, hoc est, ipsius Scripturae systemate et volumine contineantur, nec umquam hos excedant terminos: d) tum ii quoque, qui, eodem fere errore seducti, aliorum deflexerunt, et omnem hanc linearum vim bonis interpretibus egregie accommodare comati sunt: quod illi scilicet „in Scripturis, velut in spatiis suis consistant, „nec extra hos cancellos ita egrediantur, vt vel traditionem „non scriptam consulant, vel rationem exposcant ducem et magistrum, vel denique lumen aliquod infolitum exoptent, quo „in nouam quandam et inauditam sapientiam preeferantur. „e) Vti enim illi Parallelismi notionis limitibus nimis angustis circumscribendae ansam praebent, aut ipsi tam arcte circumscribere coguntur, quod deinde magis apparebit; sic quoque hi a recto, quem sequi tamen debebant, scopo prorsus aberrant. Praefstat igitur eorum potius sententia, qui omnem huius loquendi rationis potestatem in eo vnicce reponendam esse existimarent, quod loci paralleli, aequa ac lineae illae, numquam coeant, nec destruant se invicem, sed eodem semper sibi modo respondeant, miroque se concentu illustrent. f) Quibus quoque

d) Ita censet IO. TAC. RAMBACH. in *Institut. Hermeneut. sacr. Lib. II. C. VIII. §. 3.* (len. CCCXXII. 8.)

e) Placet sibi illa in explicatione

IO. NEUMANNVS in *disput. theol. de Parallelismo Sacrae Script. (Wittenb. CCCXVIII.)*

f) Vid. IO. TAC. RAMBACH. in *Instit. Hermeneut. sacr. I. c.*

quoque evictis, et ipsa demum Parallelismi notio, ut vt esse, meo quidem iudicio, debet, facile constabit. Hisce vero eam potissimum contineri, si quid equidem video, contendere ausim, quod ill^s sit locorum Scripturae tum cum aliis, vel in ipsa Scriptura, vel extra eius terminos obuiis, tum cum semet ipsis contentus, hoc consilio curate animaduertendus, ut eo locorum ipsorum ratio quaecunque satius pateat. g) Haec fere est notio, qua, ea quidem, ut opinor, satis proba, cauere a definitionis suo definito angustioris errore vnicce poteram, et quam ipsam mox sequenda magis comprobabunt.

§. III.

Concedaria.

QVAE differere haftent de vera τῆς εὐμορφίας notio-ne sustinui, ex iis facili admodum negotio, quae sequuntur, emergent axiomata, illa quidem eius generis, quae ad intelligenda reliqua haut parum faciant. In his fere cernuntur: *Primo*, in conferendis locis sibi parallelis non in ipsa modo Scri-

g) Minus itaque enrate iudicant, qui ita potissimum locos parallelos putarunt explicandos, ut sint variorum Scripturae locorum inter se collatio, et fine instituta, ut obscuriora ex clarioribus illustrantur, vel quae dubia videri poterant, magis confirmantur, cf. 10. IAC. RAMBACH. l. c. Arctius scilicet iusto haec definitio composita est. Etenim primo, siquidem variorum Scripturae locorum inter se collatio esset Parallelismus, neque apertus ille ac frequentissimus sacrarum litterarum cum profanis, uti vocantur, scriptoribus consensus, neque unius eiusdemque loci se-

cum ipso instituenda saepe collatio referri hinc vlo modo possit, quod vero, quantopere contentiat, deinceps exponam. Deinde quoque, non parallelorum semper beneficio loci obscuriores ex clarioribus illustrantur, aut dubiis inuoluti magis confirmantur. Saepe enim non nisi facto concitis paullo commemorato, neutquam vero obseuro inferuntur, aut vocis cuiusdam, cuius quidem per se certa est vis, significacionem luculentius praeterea comprobant, si quis forte sit, qui negare eam sibi sumat.

Scriptura Sacra resistendum, sed et ultra eius quoque fines ad alios scriptores progredendum. *Deinde*, non diuersi modo Scripturae loci, sed in uno quoque eodemque dicto variae ibidem obuiæ sententiae sibi respondere inuicem possunt. *Tum*, non ea solum secum inuicem componi oportet Sacri Codicis dicta, quae ita ad se relata ex ipsius Spiritus Sancti mente sunt, verum illa etiam, quae ita metiri ex se ad optimas Hermeneuticae regulas possimus. *Postremo*, non quauis dictorum compositione loco semper obscuriori maior affunditur lux, sed hanc raro etiam, quod plerumque obtinet in historicis, alteruter modo, adiunctorum scilicet ratione, magis amplificatur. Haec fere praemittenda duxi, quo facilius perspicerentur, quae iam animus est proponere.

SECTIO I.

DE VARIIS LOCORVM PARALLELO-
RVM GENERIBVS.

§. V.

Brevis variorum Parallelisini generum conspectus.

MAXIME ad rem clarius persciendam facturum me esse existimavi, si, quae disputare hac in quaestione de variis concentus Sacri Codicis generibus animus sit, breui conspectu sifterem, quo facto, et perspici vno velut obtuta, et ipsa instituti ratio diiudicari melius possit. Hunc vero in modum, quacumque huius loci sunt, distribui ea commode posse crediderim, ut sit Scripturæ



Parallelismus

| I. Externus s. mixtus | II. Internus s. purus |
|-----------------------|---------------------------|
| Veteris Test. | Noui Test. |
| cum exteris | cum profa- |
| linguar. ori- | nis Graecae |
| entalium | linguae |
| scriptoribus | scriptor. |
| | |
| | I. plurium scriptu- |
| | rae locor. |
| | realis |
| | I. ex mente l. studio |
| | Sp. S. talish) interpr. |
| | propheti- |
| | dogma- |
| | cus. |
| | I. vnius loci s. paralle- |
| | lismus sententiārum. |
| | verbalis |
| | dicti- singul. con- |
| | onis vocum. fruct. |
| | moralis. hislo- |
| | ricus. |

Nullum, si quid video, hoc schemate $\tau\eta\sigma\sigma\pi\varphi\alpha\varsigma$ genus praetermissum est. Quae enim doctorum virorum haut pauci de Parallelismo *homiletico* s. *populari* litteris prodiderunt, ea quidem ad alterum certe horum referri commode possunt, nec insignis adeo in euincendo sacrarum litterarum sensu eius usus est, vt locum ei hic concedendum arbitrer. Si qui autem forte altera ex parte sint, qui me, hunc illumue loci paralleli modum, eum quidem non omnium suffragiis receptum, quum vi-derint inducentem, reprehendant, eorum argumentis, quomodo occurri possit, suis infra locis pro virium mearum et spatii an-gustioris ratione dispiciam.

§. VI.

Parallelismus Scripturae externus s. mixtus.

PRIMVM itaque illud, in cuius versari inuestigatione iam iam conuenit, locorum sibi respondentium genus Parallelismus

h) Non omittendum hic est, quem antea suppeditau, realem ex mente Spiritus Sancti Parallelismum, dogmaticum modo, modo moralē esse, aliusue generis posse. Illius vero, quoniam plerumque

tamen prophetiis enodandis inseruit, ipseque ego eius indolem pluribus deinde inquisitus sum, varios notare hic modos absque necessitate noluī.

lisimus esto *externus s. mixtus*. Ita eum, quia nomine adhuc destitutus esse, quantum scimus, videbatur, denominari haut inepte posse, ratus sum. Neque enim ille eius est conditionis, vt intra ipsius Scripturae terminos continetur, sed latius multo patet, quippe qui ex Scripturae demum cum exteris scriptoribus compositione emergit. In eo igitur omnis eius vis certnitur, quod illa sit locorum Sacri Codicis cum exteris aut eodem, aut cognato sermone consignatis scriptis conciliatio, vt verus eo dicti sensus vlla certe ratione facilius appareat. Mirum fane est, quod eximium vsum, quo eminere illum in eruendo Scripturae sensu aequus quisque rerum existimator censembit, eruditorum perplurimi non viderint, aut videre noluerint, aut certe eum inter locos sibi parallelos referendum minime duxerint. Evidem ab eorum neutiquam abhorreo sententia, qui Sacram Scripturam, aequae ac alios auctores, ex se suisque, vt vocantur, notionibus domesticis explicari optime posse praeceperunt; quae vero ex aliis a Sacro Codice diuersis libris vltierius repetuntur, interpretationes vili pendendas esse, aut profus reiiciendas, nullo exinde modo cogitur. Nonne hic aperitus dictorum Sacrae Scripturae cum aliis scriptoribus consensus? nonne aequae sibi semper respondent? nonne haec ex illis egregie illustrantur? nonne, vt breuibus rem explicem, Parallelus? Ad quod accedit praeterea, quod ille ipse sacrarum litterarum cum doctis exterorum monumentis concentus in discussienda maxime propria verborum notione versetur, et ad elucidandum sensum Scripturae grammaticum mirifice sit efficax. Qui, quam absque eo, vt recte pronuntiauit MELANCHTHON, intelligi theologie Sacra Scriptura non possit, quantum in bene interpretandi studio pariat vsum, quis est, qui neciat? Duplici vero potissimum sermone, Hebraico altero, altero Graeco, quam prodita diuini Numinis oracula sint, non inepte,



ut vtilem maxime sacrarum linguarum cum aliis plane diuersis, Latina scilicet, et id genus aliis, comparationem faciem, i) dupliquo ratione considerari externus ille Scripturae consensus potest, tum, qua Veteris, tum qua Noui Foederis libri cum exteris, quanvis non ab eodem auctore profectis, consentire deprehenduntur. Alter quidem, qui in Veteri Foedere continetur, in eo praecipue cernitur, quod, quam amice lingua Hebraico idiomatici admodum similes, ut Syriaca, Chaldaica, Arabica, inter se conspirent, inquirendum sit. Mirandum sane est, quod in tanta interpretatione multitudine nemo facile ab longo inde tempore siue ipsum studii genus, siue grauem in erundo Hebraicae dictioris sensu vsum attigerit, nisi cui forte magis hoc mirum posfit videri, quod eorum adeo haut pauci fuerint, qui, quicquid hac de re praeceperunt postea docti homines, inutile prorsus et a re alienum arbitrati sunt. Illis enim linguis, a communi veluti matre ortum ducentibus, et fororio quasi vinculo inter se coniunctis, quae arctius inuicem consentire, et quae aliae alias illustrare melius queant, equidem plane nullas. Optime igitur, omnium certe, qui bene de re iudicare possunt, consensu, de Hermeneutices studio meritus est, immortalitatis laudem eo consequutus, SCHVLTENSIVS, k) qui hac in re facile princeps, non a limine saltem hunc laborem salutauit, sed in ipsa adeo eius sacra adyta penetravit. Et optandum sane a quoque veritatis amansissimo maxime est, ut plures, eo praeceunte, interpretes, grauem huius generis laborem adgressi, viam sibi ad altiora ibi praeflanta sternant.

Alter

i) Egregium huius conciliationis exemplum affert IO. AVG. ERNSTI in *Instit. Interpr. N. T.*

k) in *Origin. Ling. Hebraic.* aliisque in nonnullos V. T. libros commentariis.

Alter vero, ut ad eum deueniam, externi Parallelismi modus, ille quidem ambitu latius paullo patente, qui Nouum Foedus spectat, in eo praecipue ponitur, quod variae eius dicendi formulae, rationes construendi, et singulae voces cum aliis eiusdem generis in profanis linguae Graecae scriptoribus obuii rite componantur. Supernacanei certe laboris aliquid me suscepisse crederem, si in enarranda praelatura huius compositionis utilitate multus essem futurus. 1). Satis superque id testantur innumerae fere, que ab longo iam inde tempore, tamquam optimi lucubrationum fructus, prodierunt, doctorum aut in integros Noui Foederis libros, aut in singulos locos commentationes. Neque itaque his magis obuersari iam iam animus est, qui omnem omnino posterioris Scripturae partis cum aliis Graeco sermone confectis litterarum monumentis conciliationem proflus reieciendam autumant, quam quidem iis, qui nullas plane loquitiones, Hebraicae linguae genium redolentes, Nouo ineffe Foederi persuasissime sibi, nescio, quo pacto, vindentur. Conuicti erroris sui, quo vterque seducuntur, grauis simi iam dudum sunt magni argumentorum exemplorumque cumulo, quo, quicquid huius rei est, viri docti extra omnem dubitationis aleam posuerunt; quamvis ab eorum partibus, quorum in-hac re ingenia nimis laetauerunt, stare neutquam possum, sed potius, quis in vtroque sit modus tenendus, ipse deinde sim commonistraturus. In laudandis iam eorum nominibus versari, satius duco, qui in interpretatione sacrarum litterarum ex remotioribus Graecae linguae fontibus haurienda suam nauarunt operam. Haut exigua profectio eorum multitudine est, quippe quorum labore magnus ille obervationum sacrarum cumulus quasi surrexit, in quibus partim ex variis si mul

1) Multus in eo est CHRISTOPH. amat. dogm. C. I. §. X. (Lipſ. WOLLIUS Hermeneut. N. F. acro- CLXXXVI.)



mūl librorum scriptoribus, partim ex hoc vel illo singulatim illustrantur sacrae litteræ. Potiores in hoc genere, vt alios bene multos taceam, praeter HVG. GROTIUM et IO. PRI-
CAEVUM sunt sequentes: LAMBERT. BOS, m) IO. ALBER-
TI, n) GEORG. RAPHELIVS, o) IAC. ELSNERVS, p)
GEORG. DAV. KYPKE, q) quibus non omnino inferior est
CASPI. FRID. MUNTHE. r) Neque denique hoc loco omit-
tenda est magna notarum farrago, quas IO. IAC. WETSTE-
NIUS s) ex scriptoribus profanis prope omnibus affert, illas
vero adeo, nulla earum ratione habita, in rudem molem con-
gestas, vt ipsa quasi sua magnitudine laborare videantur, nec
magno aequo vnu valeant.

§. VII.

*Parallelismus Scripturae internus: plurium locorum
realis in genere.*

IN quo considerando occupatus haec tenus fui, Parallelismo Scripturae externo e diametro quasi oppositus est ille, cui nomen *interni* siue *puri* indere, non alienum videbatur. Et facili quidem negotio, quid ipse sibi velit, ex modo dictis apparet,

- m) in *Exercitatt. phiol.* in quibus N.
T. loca ex auct. Græc. illustrantur.
(Franeq. CICCIXXIII. 8.)
- n) in *Obseruatt. phiol.* in facr. N. F.
libr. (Lugd. Bat. CICCIXXXV. 8.)
- o) in *Annotatt. in facr. Script. ex XE-*
NOPHI. POLYB. ARRIAN. et
HERODOT. collect. (quae prodi-
erunt coniunctim Lugd. Bat.
CICCIXLVII. editae eleganter ad-
modum per filium BRANDAN.
LUDOLPH. RAPHELIVM
Tom. II. 8.)
- p) cf. eius *Obseruatt. facr.* in N. F.
libr. (quibus plures illor. libr. lo-
ci ex auctor. potissimum Graec.
exponuntur. T. II. 8. Traiecit. ad
Rhen. CICCIXX.)
- q) cf. eius *Obseruatt. facr.* in N. F.
libr. ex auctor. potissimum Graec.
(Wratisl. CICCICLV. Tom. II. 8.)
- r) vid. eius *Obseruatt. phiol.* in facr.
N. T. libr. ex DIODOR. SICULIO
collect. (Hafn. et Lips. CICCICLV.
8.)
- s) in *Nou. Test. Graeco.* (Amstelaed.
CICCICLI. fol.)

paret. Ea enim est eius natura, ut in ipso Sacrae Scripturae systemate constat, et locus eius quidam aut ex semet ipso, aut aliis ex alio euadat perspicuus, dummodo in Sacri Codicis volumine vsquam contineatur. Ex quo, eum vel plurium *Scripturae locorum* collatione, vel *vnius eiusdemque* consensu, ex sui ipsius comparatione orto comprehendi, statim cogitur. Et de posteriori quidem alio loco (§. XVI.) differere apud animum constitui. Plurum itaque locorum conciliationem vario modo posse institui, haut difficile erit ad intelligendum. Etenim vel dictum aliquod in Veteri Testamento obuium ad aliud quoddam in Nouo contentum resertur, vel duorum plurimumue dictorum, eorum quidem in uno eodemque Codicis Foedere, at diuersis in libris comprehensorum consensu inquiritur, vel deinde eorum harmonia in eodem volumine obtinet. In eo autem genere, quodcumque demum est, notandus primo ex tabulae §. V. suppeditatae ratione venit Parallelismus *realis*. Ille scilicet nihil aliud est, quam quum phares Sacri Codicis loci eamdem rem sive iisdem, sive aliis verbis tractantes inter se conferuntur. Minime itaque eo omnino absolvitur, quod „textum semper difficiliorem vel dubium concurrere cum facili, vel claro in eiusmodi parallelis oporteat;,, t) sed omnia quoque facta, historias omnes, omnia effata et oracula variis in locis a scribis sacris iterata proprio quodam iure huc referri, equis est, qui, rite perlustratis omnibus, ire initias possit?

Res

t) Ipsam hanc sententiam ad verbum adducendam putavi, cui valde fauet supra iam laudatus I.O. G.E. NEUMANNVS in *disp. theol. de Parallelism. Sacr. Script.* §. XI. qua itaque adductus, ut ipsius exemplo utar, facta in libris *Sacrae Scripturae* et *Regum* commemorata, de-

inde vero modo in *Chronicis*, in *Prophetis* modo, aliisque repetita neutiquam parallelia realia esse censenda fratuuit. At enim vero repugnare haec iis omnibus, quae §. III. et in not. adiect. g, afferre sustinui, facile cuique erit perspectu.

C



Res enim semper quaedam adest, et omnia, quaecumque de Parallelismo supra (§. III.) proferre sum conatus, probe hic conuenire, qui negare possit, ego vero scio neminem. Iam itaque, quae variae harmoniae realis sint species, age, videamus.

§. VIII.

Parallelismus realis ex mente Spiritus Sancti.

DOCTORVM virorum, qui de locis fibi parallelis aliquid praeceperunt, ad vnum fere omnes in eo conueniunt, quod *realis* ille Scripturae consensus vel *ex ipsius Spiritus Sancti mente* atque *indicio* ita statuendus sit, vel *interpretum* demum *studio* atque *scrutinio*, interius quasi paullo reconditus emergat. Prioris vero generis parallela eiusmodi omnia sunt, quae ita consideranda diuinus ipse sacrarum litterarum auctor, *Spiritus Sanctus* statuit, et quorum comparandi rationem, tamquam studium nullo vniuersitate tempore negligendum serio iniunxit omnibus. Qui quidem Parallelismus quantum auctoritate, vsu et veritate reliquis omnibus praestet, non opus est, multis comprobare. Quid enim ea locorum compositione, quam ipsum diuinum Numen usurpandam velut indigitavit, grauius esse, quid utilius certiusque potest? Eum autem ut singularem prorsus consensus realis partem considerare, nec, ut aliis quidem placet, Parallelismo huius generis dogmatico subiicere, rei naturae aptissimum duxi, quoniam et moralem cum nonnumquam esse aliisque generis, ex ipsa Scriptura "Sacra conitat. (§. V. not. h.) Ita enim e. g. dicto Leuit. XI. 44. וְהִיא בְּרִית מֶלֶךְ, ex ipsius *Spiritus Sancti* voluntate plane parallelum esse debuit, quod in Petr. I. 16. continetur: διέτι γέγεντας ἄγιοι γένεσθε τοις ἐγώ τοῖς ἄγιοι ἔμη. Cui vero, praecipuum hic aliquod iniungi, siue officium, non statim patet? Quae autem, quamvis ita sepe nonnumquam habeant, nihilominus

nus

nus tamen, hunc, de quo loquimur, Scripturae conseruum in
comprobanda maxime vaticiniorum de Christo impletione ver-
fari, eamque ipsam ob causam in conuentia locorum Veteris
Testamenti cum aliis eiusdem argumenti in Novo occurren-
tibus esse positum, negare posse arbitror neminem. Neces-
arium vero hic est, monere, omnia haec parallela realia dupli-
Spiritum Sanctum insituisse ratione, adeo quidem, ut eorum
alia ex sensu statim primo, grammatico, seu, vt cunq; eum
appellaueris, litterali talia cognita iudicentur, alia vero ex sensu
demum secundo sive mystico exoriantur. Sensus grammati-
cus nullus nobis alias est, quam qui ex propria verborum signi-
ficatione, ex modo construendi, omnibusque dicti adjunctis pri-
mo statim intuitu sua se sponte exferit: *mysticus* e contrario,
quem dicto cuidam, praeter sensum litteralem, ad indicandum
confirmandumque altioris indaginis grauiorisque momenti effa-
ctum inesse singulare quadam ratione voluit Spiritus Sanctus.
Ad prius itaque genus exempla fere haec referri, ut alia pree-
termittam, merito possunt: vt Ief. VII, 14. ubi propheta, sen-
su statim litterali, nihilque aliud praeterea, quicquid etiam in-
geniolum humanum coniiciendo assequi audeat, significante, de
הַנָּה הַעֲלֵבָה הַהָּה וְהַרְתָּא שָׁמָּו עַכְנוּ אֶל
cui vaticinio Spiritus Sancti indicio re-
spondet factum Iesu nativitatem celebrans: Matth. I, 22. 23. τέτο
δὲ ὅλον γέγονεν, ἵνα πληρωθῇ τὸ ἔνθει ὑπὸ τῷ κυρίῳ, διὸ τῷ πρεσβύτερῳ,
λέγοντες· Ιδε, ἡ παρθένος ἐν γαστὶ ἔχει — — μετ' ἀμνῷ ὁ Θεός.
Aliud exemplum prostat Ps. XXII, 19. quo loco ex sensu, vt
grammes censent interpres, primario et grammatico, variis gra-
uissimisque cruciatuum generibus, quibus affligendus olim ho-
minum Saluator sit, et hoc, tamquam triste omen adnumeratur,
quod milites, Christi et reliquorum cruci affigendorum cu-
stodes, vestimenta eius, alea iacta, inter se distributuri sint:

וְיָהִי כְּבֹשׁוֹ וַיְפִילוּ גּוֹרָל
quocum effato omnes
fere, qui de vita Christi exposuerunt, Noui Foederis scriptores
sacri: Matth. XXVII, 35. Marc. XV, 24. Luc. XXIII, 34.
Ioh. XIX, 23. 24. mirifice consentiunt, et id quidem aperto
Spiritus Sancti consilio, quod satis patet ex dicendi formula:
ίνα πληρωθή τὸ ἡγέτευ υπὸ τῷ προφήτᾳ, siue: *ίνα ἡ γένεσις πληρωθή ἡ λέγεσσα*. His denique adiiciatur vaticinium Pf. XVI, 10.
de futura Christi resurrectione, quod his ipsis verbis: *לא-תַּשְׁכַּח*
נְבֵשִׁי לְשָׁאָל לְאַתָּה חִסּוּרָךְ לְרֹאָתָה שְׁחָתָה
id quod debebant, indicantibus, a Paulo Actor. XIII, 35.
innuente sic Spiritu Sancto, (*διὸς οὐαὶ εἰ ἐτέρῳ λέγεται*) iteratur. Et
haec quidem de priori Parallelissimi Spiritus Sancti indicio rea-
lis genere.

Alterum nunc quoque, quod sensu demum *mystico* s.
secundo euadit, ut exemplis quibusdam illustremus, instituti rati-
o exigit. Copia eorum inter alia datur primo Hof. XI, 1.
quo verba: *מִמְצָרִים קָרָאת לְבָנִי*, *ex Aegypto vocavi filium
meum*, sensu certe primo siue grammatico, quod quisquam ne-
gare haut facile poterit, de populo Israelitico agunt, quem
Deus liberatum a molesta Pharaonis seruitute vocauerit ex Ae-
gypto, et migrare in terram Canaan iussierit. Etenim ex-
pressis adeo verbis *τῷ Ιωσήλ* sit mentio. At maiorem quoque
iis inesse vim sapienter instituit Spiritus Sanctus, quippe quae,
Deum aliquando filium suum unigenitum ex Aegypto, quo fu-
ga una cum eo ob horrendam Herodis tyrannidem se recepe-
rat Iosephus, redire tutum atque incolumem, iussurum fore,
significarent. Qua demum ratione, ipso diuino Numine mani-
festo auctore, parallelus plane huic est locus Matth. II, 15.
*ίνα πληρωθή τὸ ἡγέτευ υπὸ τῷ κυρίῳ διὰ τῷ προφήτᾳ, λέγοντος· Εξ
Αἴγυπτου ἐκάλεσα τὸν γίον μου.* Deinde notandum hac in re est
effatum 2 Sam. VII, 14. vbi promissionem diuinam: *ארוח-לן* *לאב*



לֵאמֹן וְהוּא וְהַיָּה לְבָנָן, *ero illi pater, et ipse erit mibi filius,*
de Salomone, filio Dauidi nascendo, grammaticae interpretari,
omnia rei adiuncta (v. 12-15.) suadent. At grauiori simul
de Messia argumento eam esse accommodandam, loco indicat
Spiritus Sanctus cum hoc apte conuenienti, Hebr. I, 5.
ἐγὼ ἔσομαι ἀντώνιος πατέρα, καὶ ἀντὸς ἔσομαι υἱός ὑνόν. Cogitan-
ti mihi vero saepenumero de singulari hoc τῶν παραπλήσιων
modo, facile fuit ad perspicendum, non eamdem semper, qua
instituere huiusmodi locorum compositionem facri scribae sol-
lent, rationem obtinere. Nonnumquam enim, addita singulari
Spiritus Sancti auctoritate, eam munire studuerunt, vt: Ies. VI,
9. coll. cum Act. XXVIII, 26. Pf. XCV, 7. comparat. c. Hebr.
III, 7. Saepe vero, illa omisla, auctoris modo mentionem fa-
ciunt: Matth. III, 14. VIII, 17. XV, 7. 8. XXII, 43. 44. Haut
raro quoque ne de iis quidem adducendis cogitarunt, quod
patet ex Matth. III, 4. 7. 10. Ioh. II, 17. Rom. XV, 10.
Hebr. V, 6. Denique et ea locorum huc pertinentium exem-
pla in sacris litteris reperiuntur, in quibus, vnde petenda potissimum
sint, in incertam dubitationis aleam eunt interpretes.
Videntur autem ipsi, aut totus ego fallor, maiorem iusto in hac
re creare sibi difficultatem, dum, verbis nimis inhaerentes,
parum cogitant, sacros Spiritus Sancti amanuenses in allegan-
dis eiusmodi effatis non tam verborum, quam rei potius, quae
latius forte patens in compendium arctius redigenda erat, cu-
ram habuisse. Clarum id fit ex Matth. II, 23. Ibi enim in
euincenda oraculi: Ἐτι Ναζωραῖος κληθήσεται, compositione
quod διὰ τῶν προφητῶν editum dicit Matthaeus, in sententias
adeo inter se discrepantes abeunt, adeoque hos, illos Scripturae
locos velut detorserunt, vt conciliari inuicem vix queant. u)

C 3

Omnem

u) Magnam hanc discrepantium
multitudinem indicat Ioh. HENR.

DAN. MOLDENHAUER in der
gründ-



Omnem subinde operam perdidisse mihi videntur, nec posse
vmquam huic loco parallelos absque magna difficultate vindici-
cari arbitror, nisi forte, quam modo demonstrau, viam ingressi,
Matthaeum, quae Veteris Testamenti scriptores hic, illic de fuga
Christi in Aegyptum, de eius reditu, alisque huius rei ar-
gumentis sparsim attulerunt, in concisum hoc effatum quasi
coëgisse, statuamus. Ceterum, quum tanta eius, quem huc
usque tractau, Parallelisfri perspicuitas sit, vt committi erro-
rem in eo dijudicando plane non posse crèderes, ecquis est,
qui, quum ipsa in hac luce impingere nihilominus homines vi-
deat, non magnopere miretur? At ea sunt mortalium ingenia,
vt, magna rerum euidentia dufti, temere plerumque agant,
nec omni tempore satis sapiant. Quare et hac in re qui agi
cautius possit, legibus nonnullis (Sect. II.) fanciendis pro virili
discipiam.

§. VIII.

Parallelismus realis studio interpretum: propheticus.

QVAMVIS, vt antea dixi, ipsum Numen diauinum,
quae oraculorum sacrorum suau quodam inter se concentu con-
ueniant, luculenter demonstrauerit, iisque maxima omnium de-
beatur virtus; minime tamen inferiori loco ponenda eiusmodi
dicta parallela sunt, quae magis paullo recondita doctorum de-
mum virorum studio proueniunt, quippe quibus, non minus
ac illis, veritas et ratio confat. Pertinet huc in primis, quem
non inepte dixeris, *Parallelismus propheticus*. Ipsa iam deno-
minatio, quid ille sibi velit, haut obscure prodit. In eorum
enim locorum comparatione consistit, qui προφητείαν quamdam,
fiue vaticinium, aut eadem, aut diuersa tractant ratione. Fieri
id

gründlichen Erläuterung der schweren
Stellen der heil. Bücher N. T. 1 Tb.
S. 11 - 13. (Leipz. und Königsb.
1763. 4.)

id eodem modo solet, si idem factum olim exsequendum mere
praenuntiant duo vel plures prophetae: diuersa contra ratione,
si alter locus rem vt olim agendam, alter vt aetam iam cele-
brat. Illius exempla Veteris tantummodo Testamenti sunt;
huius vero maximam partem intra ambitum vtriusque conqui-
renda. Exemplo sit, quod praedixit Iesaias Cap. XI, 2. de ma-
gnis Messiae virtutibus: נָתַן עֲלֵינוּ רְוחֵךְ שְׁלֹמֹךְ, super eo quiesceret
Spiritus Iehouae, et quae mox subsequuntur v. 3. quibuscum
egregie conuenit ab eodem praenuntiatum C. XLII, 1. נָתַן
עֲלֵינוּ, *indam ipsi Spiritum meum*, et totum v. 3. et 4.
argumentum. Sic huius loci sunt vaticinia Ies. VII, 14. VIII,
6. Mich. V, 1. quae modo latius, breuius modo de Messia olim
nascendo exponunt. Sic hoc respiciunt dicta fere innumera,
quae vel captiuitatem Babyloniam minitantur, vel liberatio-
nem ab illa pollicentur. Neque vero eorum locorum exigua
prostat copia, quorum alter τὸν προφῆτα, alter ipsius comple-
mentum continet. Maxima enim eorum pars in iis omnibus,
quae de vita, rebus gestis et Christi cruciatis vaticinati sunt
prophetae, confirmandis versantur obsignandisque. Ea autem
cuique, qui vel prima facetas religionis elementa leuiter
attigerit, adeo innotuisse arbitror, vt labore, eorum iam iam
rationem reddendi, superfedere commode possumus.

§. X.

Parallelismus dogmaticus.

EXCIPIT statim, quem modo descripsi, Parallelismum
propheticum dictus vulgo *dogmaticus*. Ei, quae proprie insit
notio, iam commonstrare, haut difficilis erit labor. In eorum
scilicet locorum situs est analogia, qui dogma quoddam, sive
veritatem, scitu, quacumque demum est ratione, necessariam,
simili modo exhibent. Quo quidem efficitur, vt ea vocis huius
signifi-



significatione, qua plerumque in dogmatis scholis venit, non anxie nimis immitendum, sed progrediendum ultra sit, adeo, vt, quicquid ad necessariam solidamque cognitionem faciat, eo complectamur. Nec ea est huius harmoniae ratio, vt iisdem semper verbis dogma variis in locis occurrens pronuntiatum sit, sufficit, idem adesse argumentum. Quin, si ipsum adeo veritatis oppositum alteruter locus sistat, illos sibi egregie respondere dixeris. Quantum enim sibi mutuo opposita ad illustrandum rei argumentum valeant, ecquis est, quem lateat? Expedit vero, quae praecipere iam sustinui, exemplis quibusdam suffulcire. Alterum, vt ab hoc incipiam, legitur Ps. XL, 7. vbi de Deo ita differit Dauides: זֶבָח וְמִנְחָה לְאֱלֹהִים — עַולָה וְחַטָאת לְאֱלֹהִים — שָׂרֵךְ וְמִנְחָה לְאֱלֹהִים — שָׂרֵךְ, sacrificio et munere non delebaris — holocaustum et oblationem pro peccatis minime expertis. quibusdam vel ad verbum congruent dicta ab eodem Ps. LI, 18. צְדָקָה לְאֱלֹהִים — עַולָה לְאֱלֹהִים — זֶבָח. Alterum videre est Ps. XXXIIIH, 16. עַל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ וְרוּחָה אֱלֹהִים — oculi Iebouae in iustum intenti sunt. quam veritatem, firmissimis nixam fundamentis, opposita ex parte probat locus Iob. XXXVI, 7. לְאֱלֹהִים מְצֻרָה עֲנָנוֹת, non auertit oculos suos ab iusto. cui quoque respondet Ps. I, 6. membr. prius. Referri luc praeterea possunt Gal. III, 19. coll. cum Hebr. II, 2. Rom. II, 11. — Act. X, 34. et Deut. X, 17. Ps. XC, 4. — 2 Petr. III, 8. quibus litterarum sacrarum non plane expers addere plura facili negotio poterit.

§. XI.

Parallelismus moralis.

AD inuestigatum hucusque antecedens Parallelismi realis genus proxime sine dubio, vel ipsa Scriptura praeente, accedit aliud, quod τῆς συμφωνίας moralis nomine venit. Nec sub ea quid intelligendum sit, admodum latet. Est scilicet eorum

rum Scripturae locorum consensus, in quibus de eodem disciplinae moralis momento, quocumque id modo fiat, edifferitur. Ex quo facile consequens est, ut non in eo modo querendus hic Parallelismus sit, si, *primo* quidem duobus in locis idem praeceptum, officium idem, tamquam ab hominum quoque seruandum, iniungitur, aut a male facto caute vitando deterretur; sed latius ille quasi regnare mihi videtur. Obtinet enim *tum* quoque, quum altero loco exercere virtutem iussi, altero a vitio *ei* opposito prohibemur; *pastremo*, quum praeclera vel mala mere hic indicatur actio, alibi vero adducuntur causae, quae vel impellant ad agendum, vel ab eo auertant. Plenius exemplis omnes Sacri Codicis libri, quorum pauca hic indicasse, satis sit. Excitamus hac ratione Ps. LV, 23. ad spem, quacumque vitae conditione, in Deo ponendam: *הַשְׁלָמָה יְהוָה יְהֹכֶד וְהִוא יְכַלֵּךְ לְאַתָּה לְעֹדָם מֹט עַל־יְהוָה יְהֹכֶד וְהִוא יְכַלֵּךְ לְאַתָּה לְעֹדָם מֹט*. Eodem fere modo ad edendam praeclarar hanc virtutem prouocat diuus Petrus I. ep. C. V, 7. *πάσσων τὴν μέλεμαν μάδην ἐπιρρήψιοντες ἐπ' αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν.* Sic praecepsi, quod obedientiam parentibus praestandam iubet, Proverb. XXIII, 22. rationes impellentes traduntur Cap. XIX, 26. XX, 20. Quibus adiici haec subinde possunt, quae relata leguntur Ies. I, 16. 17. coll. cum 1 Petr. III, 11. Matth. V, 16. — 1 Petr. II, 2. Proverb. XXV, 21. 22. — Rom. XII, 20. Ps. XXXVII, 5. — Matth. VI, 25.

§. XII.

Parallelismus historicus.

AD GREDIOR iam explicandum Scripturae Parallelismum, cui *historicu* nomen indidere interpretes. Facile, id conficere, negotium censeo. Neminem enim admodum fugere arbitror, in eo illum praecipue contineri, si duo vel plures Scripturae



pturae loci in eodem facto, quod ad historiae tractum pertinet, versantur exponendo. Loci igitur in hoc genere paralleli sibi sunt omnes, tum qui eundem euentum notatum dignum fuisse alter, alter breuius celebrant, tum quorum alteruter, non id quidem ex instituto, sed veluti aliud quid agendo, breuissimis adfert, quae ad dilucidandum magis alius loci factum optime faciunt. Eadem igitur res gestae, e. g. Sauli, Davidis et Salomonis in libris partim Samuelis, partim Regum et Chronicorum saepenumero integrae fere iterantur. Amicissime quoque, quamvis repugnantiae saepe speciem praeseferant, inter se conspirant, quae ad nos peruererunt Euangelistarum de actis vitae Salvatoris commemorationes, quae ipsae aequis rerum aestimatoribus tanti semper fuerunt, ut innumeris fere illis, quae sensim in lucem editae sunt, *Harmonia Euangelistarum* ansam praebuerint. At enim vero, non minus huius Parallelismi generis loci sunt ii, quorum alter paucissima quidem tantummodo tradit, ea vero haut exigui emolumenti in illustrandis alterius loci momentis, quippe quae in adiunctis facti nonnullis plerumque reponuntur, iis quidem in ipsa historiae sede, vbi tamen copiosius exposita ceterum res est, silentio praetermissis. Exemplorum instar omnium sit Pf. LXXVII, 18. 19. 20. vbi facta quaedam grandia commemorata, eaque alioquin plane incognita, mirifice faciunt ad euehendam miraculi in transitu Israelitarum per mare rubrum a Deo perpetrati magnitudinem. x)

§. XIII.

Parallelismus verbalis: dictio[n]is.

OMNIA itaque τῆς συμφωνίας genera, in quorum vera īdole ac notione commonstranda occupata hucusque fuit disputatio.

x) Plura huius rei exempla nosciturus adest laudatum iam saepe

JO. IAC. RAMBACH. in Instit.
Hermeneut. sacr. l. c.

tatio nostra, reali vnico Parallelismo, summo velut capiti, subiicienda putaui. Quae vero iam sequuntur, alias, vt ita dicam, ditionis sunt, quippe quae sub *verbali*, illi opposito, continentur. Insignis hic aeque utilitatis laude est, ac realis. Maxime enim omnium in grammaticae interpretationis studium influit, cui quidem rei singularem consecrare operam meam (Sect. III.) apud animum constitui, vt eius notionis rationem reddam. Est vero ea plurium locorum inter se collatio, qua sensu aut integræ dicendi formulae, aut singularum vocum, aut denique construendi rationis, vlo certe modo consulitur. Sponte igitur exinde triplex haec surgit Parallelismi verbalis ratio, qua aut *dictionis*, aut *singularum vocum*, aut denique *constructionis* est. Et *dictionis* quidem facile patet vis atque potestas. In eo enim sitam illam praecipue esse videre mihi video, si duobus in locis eadem prorsus dictio, vel in alterutro aut synonymica, aut opposita ei plane deprehenditur, licet forte res omnino diuersa in illis obtineat. Omnium vero horum modorum preeclarus aequæ in interpretando adeo enitet usus, vt qui preeferri reliquis et possit, et debeat, ipse fere nesciam. Accidere enim haut raro sacris in litteris solet, vt, qui hic obscurius paullo lateat formulae cuiusdam loquendi sensus, vel in dubium vocari certe possit, alibi obuius magis cuique sit atque expositus; qui itaque priori in loco sua quasi obscuritate opprimetur, nisi eiusmodi conciliazione noua quadam perspicuitatis gratia emerget. Eo igitur e. g. efficitur, vt ex dictione in Proverb. III, 20. membr. vt. occurrenti: לְעָפָר וּלְתֹהַם, *superiores* numeros destillant rorem, clarior euadat loquutio Pt. LXV, 12. membr. vt. רְשֵׁם וּרְעֵבָן, *orbitæ tuæ* (o Deus) stillant pinguedinem. quae nihil aliud scilicet est, quam elegans quaedam ac sublimis roris descriptio. Sic quoque τὸ ἀντὸ λέγειν i Cor. I, 10. significare: *idem sentire*, luculenter apparere mihi videtur.

D 2

ex



ex dictione plane synonymous: τὸ αὐτὸ φρεσεῖν, 2 Cor. XIII, 11. Quibus adnumerari exemplis possunt sequentia: Proverb. VIII, 12. coll. cum Ies. LVII, 15. ex quibus nimis locis facile, uti arbitror, emergit, *habitare aliquam rem eos dici apud Hebreos*, qui *eam unice possident*. Sic quoque formularum dicensi ratione inter se conueniunt 1 Cor. III, 3. et Rom. VIII, 1. 12. Gal. V, 19. 20: Proverb. X, 5. et Ies. XVI, 9. Ier. VIII, 20: 1 Cor. III, 11. et Luc. V, 21.

§. XIII.

Parallelismus singularum vocum.

NVLLA sine dubio inter multas illas variasque Parallelorum species est, cuius propria notio magis cuique constet, quam, quae *singularum vocum* comparatione instituitur. Negotio certe adeo facilis perspici eius natura posse videtur, vt vel nominasse eam iam sufficiat. Quaevis enim vel earumdem vocum, vel similium, vel oppositarum denique habita ratio huius, de quo loquimur, loci est. Recenserit huc proprio quodam suo iure merentur dicta fere sequentia, vt: Proverb. I, 7. vbi vocem: חַדְרָא interpretari per *universum Dei cultum* (religionem) suadet locus parallelus Ps. XL, 4. porro Ies. II, 4. quo verbum יְהִי ex militiae ambitu proprie depromptum de agmine iter ingrediente usurpari, omnem citra dubitationem euincit Ps. XVIII, 6. et denique Ies. I, 2. vbi vocabulum יְהָנָן terram Iudaicam indicare, videre licet ex Matth. XXIII, 30.

§. XV.

Parallelismus constructionis.

EVIDEM sedulo sciungendum ratus Parallelum, qui in dictione continetur, ab eo, qui ex simili vel integrorum dicendi modorum, vel singularum vocum constructione oritur,

non

non potui non, proprio hunc loco suo adsignare. Ipsas enim loquendi formulas vocesque per se spectatas, et morem, quo illae in Sacra Scriptura cum aliis apte connecti ad linguarum genium soleant, res esse diuersi plane argumenti, certum est atque indubitatum. Colligi vero ex ipso huius Parallelismi conditione haut difficulter posse arbitror, eum non in Veteri Nouoque Testamento singulatim sumto vnicce obtinere, sed saepenumero potius non abique magna vtilitate ex aliis cum alio compositione esse petendum. In dubium certe vocare id nemo facile poterit, quin eo simul negare euictam fatis, vt opinor, interpretum studio veritatem audeat, Noui scilicet Foederis scriptores, suum quemque dicendi morem haut raro Hebraicae linguae genio prudenter attemperasse. Loci igitur e. g. in hoc genere paralleli fibi sunt Proverb. III, 18. et Lib. Esther VIII, 4. quibus nimirum in locis similes construendi obtinent ratios, altero in verbis: וְלֹא, *ambulans et lucens*, altero vero in his: וְלֹא, *ambulans et magnus*. Qua facta locorum conciliatione, haec fere interpretandi Veteris Testamenti regula elicetur: Si duo verba inter se coniungunt Hebraei, verendum nonnumquam alterutrum est in aduerbio, vt itaque priorum verborum sit sensus: *magis magisque lucebat*, et deinde: *maior in dies euadebat*. Sic εἰ τῷ ἡμέρᾳ 1 Cor. I, 8. idem est, ac εἰς τὴν ἡμέραν, quod clarum fit ex Phil. I, 6-10. Eodem quoque modo διὰ τῆς οὐρανοῦ 1 Cor. I, 10. positum pro simplici διὰ per esse, patet ex Hebraismo בְּשָׁמָן. Atqui haec quidem dicta satis funto de larga illa, quae ex plurium Scripturae locorum collatione proficiscitur, Parallelismorum serie. Supereft, vt tandem quoque ea, qua fieri potest, breuitate de illo harmoniae genere verba faciam, quod ex uno eodemque Scripturae loco petendum est.

Parallelismus unius loci s. sententiarum.

Si quod inter multa illa, suo pro se quaeque emolumento se commendantia Parallelismi genera est, quod ob exigiam, quae illi ineft, utilitatem et praeferrri reliquis omnibus debeat, et ab interpretum quoque magni admodum aestimari, illud profecto est, quod vno eodemque Scripturae loco absolvitur, id quidem apte, vt mihi videtur, Parallelismi *sententiarum*, aut, si mauis, *amplificationum per phrases, sententiosi dicendi generis*, aut denique *sententiarum conformatio-* nomine insigniendum. y) Attamen, eius, quantus quantusque est, usus diu fatis et latuit, et adhuc quoque latere ex parte videtur, quum eorum, qui aut nouerint illum, aut multi in ipso usurpando fuerint, magna semper adhuc sit paucitas. Ego vero, quo minus locis eum parallelis adscribendum putemus, quid obstat, plane non perficio. Est enim sententiarum unius eiusdemque loci in scriptis Veteris Testamenti, vatum praecipue Hebraeorum inter se compositio, eum in finem instituta, vt ipsa earum ratio magis constet, sensusque clarus reddatur ac perspicuus. Non absque consilio igitur, quod primo notandum est, locum tantummodo huic Parallelismo unice in Veteri Testamento, et id quidem apud Hebreos praecipue vates concedendum dixi, quoniam qualicumque haec ratio ad genium solum Hebraicae linguae composita esse videtur, a quo vero aliae, vt ut earum natura fert, adeo abhorrent linguae, vt in Nono pariter Foedere, ac in scriptoribus aliis omnibus, et Graecis, et Latinis, paucissima tantum, quin dicam, nulla omnino eius rei vestigia

y) Ita id Parallelismi genus nominat ROBERT. LOWTH in libro praestantissimo *de sacra poesi Hebræor.*

*Tom. I. praedit. III. p. 56.
(Goett. 1790CCCLVIII. Tom. II. 8.)*

stigia facile quis inuenierit. Magnam enim et singularem in eo
 elegantiam orationis et gratiam posuisse mihi videntur Hebraei,
 quod in vna eademque haferint sententia, variis eam propon-
 fuerint verbis, et aut similia cum similibus amice conciliare,
 aut contraria contrariis opponere magnopere studuerint. z) In-
 vestiganti mihi quoque, quae tandem illa sit, ex qua haec sen-
 tentiarum conformatio proficiscatur, cauſa, haec ſubſe poti-
 ſimum viſa eſt, quod in omnibus eiusmodi locis a) oratio re-
 uera ſit poētica, verumque obtineat carmen. Qua ex cauſa
 factum, vt ſingula diſta (ſententia quaeus) in aequales par-
 tes et membra, (versus). bina plerumque, nonnumquam plura,
 diuīſa fuerint, quae certo omnia metro, certisque numeris ſint
 adiutoria. b) Neque exinde parum, quod huic argumento ma-
 gis illuſtrando inſeriat, afferri poſſe credo, ſi paullulum in Mu-
 ſicæ Hebraeorum, eorumque carmina decantandi rationem in-
 quiramus. Ille enim iis in Hymnis aliisque carminum gene-
 ribus ſolemniter decantandis ſeruatus fuſſe moſ videtur, vt
 chori duo ſymphoniaci ex aduerſa regione collocati eiusmodi
 celebrarent cantus, quorum altera pars, ad conſirmandum eo
 magis, vti opinor, rei argumentum, ad euēndam eius magni-
 tudinem, excitandaque apta animi ſenſa, eamdem fere redde-
 ret voce ſententiam, quam altera prior ediderat. Hinc quoque
 factum, vt non partes ſolum eiusmodi verſus, ſed ſingulae quo-
 que voces, quin ipſae adeo syllabæ nonnumquam mirifice ſibi
 responderent. Exempla in promptu ſunt. In Psalmo ſtatiſ
VI,

z) cf. ROBERT. LOWTH I. c.

a) Huc pertinent Psalmi fere omnes,
 Threni Jeremiae, prophetiarum
 permulta, aliaque carmina in V.
 T. obvia.

b) Ipmum adeo vocabulum כִּים וּרְאֵי originem exinde duxisse autumat

LOWTH I. c. quoniam signifi-
 cat: *incidit, fecuit, amputauit*, vt
 itaque nihil aliud fit, quam „ora-
 „tio, peculiari quodam modo in
 „breues, crebras, certisque inter-
 „uallis dimenſas ſententias inter-
 „cifa.“



VI, vt ab eo exordiar, egregie hic patet sententiarum Parallelismus: vt

אָלֵךְ | בַּאֲפִרְךָ | תָּכְחִנְיָה
וְהֹווֹה } וְאֶלְךָ | בְּחַמְתְּךָ | תִּסְרִינִי

הָנְנִי | יְהֹוָה | כִּי | אָמַלְלָנִי
רְפָאַנִי | יְהֹוָה | כִּי | נְכַחַלְוָאָצְמָנִי

כִּי אֵין בְּמוֹת | זָכָרָן
בְּשָׁאָלָל מֵ | יוֹרָה לְךָ

Eodem modo perspicuus ille prae reliquis est in Psalmis XLIII,
2. LXVII. XCIII. CXVIII. CXLVII. aliisque. At non aequa
facilis ipse vbique est et obuius, sed abditus velut et reconditus
saepe latet, adeo, vt regulis nonnumquam sit opus, ad quas
eum inuestigare tutius quisque possit. Et operae pretium pro-
fecto esse existimai, quibus fanciendis, vt et insigni earum in
Hermeneutica et Critica vsui demonstrando singulare in sequen-
tibus huius Dissertationis Sectionibus studium nauarem. Ego
vero quem temporis angustia nimis iam iam praeccludar, quam
vt vacare huic labori rite poslim, in aliud opportunum magis
tempus eum differre, et Programmatibus quovis pro muneris
mei ratione semestri a me conscribendis fusius tractare, si
quidem Deus O. M. vires mihi largiatur,
constitui.



COROL-


COROLLARIA
 QVAE MORE CONSVENTO
 ACADEMICAЕ DISPVТATIONI SVBIICIENDA
 SVNT.

- I. PRAEFERENDA eorum sententia est, qui libro-
rum ad HERENNIVM CICERONEM auctorem
habent.
- II. ELOQVENTIA in libera ciuitate maxime semper
colitur.
- III. ODA prosaica repugnantiae aliquid in se continet.
- III. PRAESTAT, in historiae litterariae ambitum per-
currendo, singulas potius eius partes ab initio in-
de ad finem vsque singulatim repetere, quam
omnia argumenta uno simul obtutu perlustrare.
- V. IN inuestigandis apud priscas gentes litterarum fa-
tis magnum earum historiae accedit incrementum,
si variarum tunc receptarum opinionum rationes
vel coniecturis adsequendi periculum faciamus.
- VI. LEGES naturae simul sunt diuinae.
- VII. IN notione legis minime requiritur idea supe-
rioris.
- VIII. IN explicandis Hebraicae linguae vocibus magni
vsus est curatus in analysi earum notionum ordo.
- VIII. OPTIME censem, qui modo denominatum ita
a Masorethis Ktif, modo Kri in Sacra Scriptura
praeferendum putant.
- X. IN veteri historia non temere negligenda est num-
morum cognitio.

- XI. **SATIVS** est, pro temporum nostrorum ratione nouae historiae operam dare, quam priscae aut mediae.
- XII. **NECESSARIA** est Graecae linguae cum Latina comparatio.
- XIII. **DIALECTVS** attica vsui in vita communi fuit aptissima.
- XIII. **FIGVRA** trianguli maxime omnium valet, ad demonstrandam crescentem corporum in cadendo celeritatem.
- XV. **PHYSICA** mere experimentalis nullius fere usus est.
- XVI. Si in locis scripturae lectiones variantes nimis sunt cumulatae; omnes eam ipsam ob causam plerumque suspectae sunt.
- XVII. In instituendis criticis Sacri Codicis conjecturis videndum, ne quid nimis.
- XVIII. **MATHEMATICES** studium maxime promovet solidam certamque rerum cognitionem.
- XVIII. **NVMRVS** fractus, qui spurius dicitur, proprius non est fractus.
- XX. **NOTIONES**, clara et confusa: distincta et incompleta: completa et inadaequata omnino inter se differunt.
- XXI. **ERRANT**, qui Metaphysices pracepta Logicae censent praemittenda.
- XXII. **PRINCIPIVM** indiscernibilium, quamuis negari minime possit, nullis tamen, ut adhuc demonstratum plerumque est, certis firmisque nititur fundamentis.

CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. D.

IVL. FRIDER. LVD. RODEMEIER.

BRVNNSVIC. I. V. STVD.

Ego vero plane esse inhumanus, nisi hodierno die mea erga TE
animi sensa, et quanti TE diligam quantique TE faciam, pu-
blico, si aliter verbis exprimi haec possum, declararem documentum.
Adeptus es dignitatem, iure meritoque adeptus, et TE, ubicumque
gentium eris, prospera ab omni parte haec fortuna frui, id est, quod
iubeo. Pertinax TVA in litterarum studiis diligentia, iam inde-
usque a puero indefessa, quam amorem apud Parentes, apud alios ad-
miracionem famamque TIBI peperit nunquam intermorituram,
haec, et meruit plura. Gratulor, et o quam vellem, ut tanta dicendi
vi esse praeditus, ut omnia, quae mea in TE pietas, et animus in
TE meus vivacissime sentit, plenissime describere possem! vereor au-
tem, ne, quam plurima dixerim, plura tamen cogar omissoe fateri.
Nihil amplius mihi optandum superesse arbitror, quam ut me ea,
quam hucusque in me tam liberaliter detulisti, amicitia, amplecti per-
gas. Quam si obtinuero, ita laetabor, ut magnum ad meam ipsius
felicitatem cumulum ea esse accessurum existimet. Vale, et spartam,
quam natus es, orna. Scribebam Helmst. in ante diem II Ian.

CIOIO CCLXX.

VIRO CLARISSIMO
DISSERTATIONIS AVCTORI DOCTISSIMO
FAVTORI SVMMO PIETATIS STUDIO
COLENDO
AMICO NVLLI SECUNDO

S. P. D.

THEODVLVS ANTONIVS WOLLER
LAVENB. I. V. STVD.

*Si qua umquam grata mihi oblata est occasio, quam diu multum-
que circumspexi; est certe, qua iam iam grati animi testandi caus-*

E 2

fa



sa adeo uti animus est, prout mea in TE pietas exigit. Nouum in republica litteraria honoris gradum ascendis: nouum pertinacis industriae, laboris indefessi atque excimiae eruditionis TVAE praeium accipis, nouum, inquam, stimulum, eamdem, quam hucisque adhibuisti, sollertia atque operam, in animis iuvenilibus bene instituendis adhibendi. Evidem non ignoro, TE ita sentire, ut iam non desideres laudes meas, quas vel ego, si vellem praedicare, verendum esset, ne omnem humanitatis atque urbanitatis modum aut excederem, aut humanitatis officia minus iuste explorerem.

Nos, ALBERTI, neque haec dicere — —

Conamur tenues grandia: dum pudor

— — — — — vetat

Laudes — — — — TVAS.

Culpa deterere ingenij.

Tantum abest, ut hoc committam, ut animi TVI dotibus atque meritis in rempublicam litterariam, recensendis immorer, ut potius Viris eruditis conuenire id arbitrer, qui praeclare facta TVA iudicent digna, quae alii cum laude tradantur. Quae quam ita sint, facere non potui, quin TIBI insignem meam voluntatem atque laetitiam, cuius et ego potissimum sum particeps, significarem, atque honorem ingenio TVO dignum gratularer ex animo, pariter et mihi, quod tam multa mihi, eaque tam excimia benevolentiae, atque favoris TVI specimina exhibuisti; quod ardissimo amicitiae atque amoris mutui vinculo tunc TIBI esse, nihil contigit, id quod mente colam semper gratissima. O me felicem, terque felicem, si amicitia, qua nihil suauius, nihil iucundius esse potest, etiam in posterum reperiatur dignus. Faxit DEVS O. M. ut ad summum breui temporis spatio ascendas honoris fastigium, eumque in finem TE semper sartum testumque seruet ab omni incommodo atque molestia, me vero semper habeas TIBI commen-
datissimum etiam atque etiam rogo. Vale, et quem amasti, ama.

Heidelberg a. d. I. Ian. CICIOCCCLXX.



99 A 6985


ULB Halle
002 823 829

3



Retro ✓





55

DISSERTATIO
PHILOLOGICO - HERMENEVTICA
DE
LOCIS SACRAE SCRIPTVRAE
PARALLELIS
SECTIO I.

QVAM
SINGVLARI INDVLTV
INCLITI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN ILLVSTRI ACADEMIA IVLIO-CAROLINA
GVILIELMVS THEODORVS CAROLVS
ALBERTI

PHILOS. DOCTOR ET ARTIVM LIBERAL. MAGISTER SCHOLAE
SENATOR HELMSTAD. RECTOR COENOBII MARIAEVALLENSIS
SVBPIOR ET SOG. DVC. TEVTON. HONORIS CAVSSA
ADSCRIPTVS

A. D. III. JANVAR. A. R. S. CICIOCCCLXX.

IN IVLEO MAIORI
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBIICIT
RESPONDENTE
ANTON. AVGUST. HENR. LICHTENSTEIN
HELMSTADIENS
SACRAR. LITTER. CVLT.

HELSTADII
LITTERIS MICHAELIS GVNTHERI LEVKART.